

Publius Ovidius Naso, Amorum liber I, 5

AESTUS ERAT, MEDIAMQUE DIES EXEGERAT HORAM;
ADPOSUI MEDIO | MEMBRA LEVANDA TORO.
PARS ADAPERTA FUIT, PARS ALTERA CLAUSA FENESTRAE,
QUALE FERÉ SILVAE | LUMEN HABERE SOLENT,
QUALIA SUBLUCENT FUGIENTE CREPUSCULA PHOEBO
AUT UBI NOX ABIIT | NEC TAMEN ORTA DIES.
ILLA VERECUNDIS LUX EST PRAEBENDA PUELLIS,
QUA TIMIDUS LATEBRAS | SPERET HABERE PUDOR.
ECCE, CORINNA VENIT TUNICA VELATA RECINCTA,
CANDIDA DIVIDUA | COLLA TEGENTE COMA,
QUALITER IN THALAMOS FORMOSA SAMERAMIS ISSE
DICITUR ET MULTIS | LAIS AMATA VIRIS.
DERIPUI TUNICAM; NEC MULTUM RARA NOCEBAT,
PUGNABAT TUNICA | SED TAMEN ILLA TEGI;
QUAE, CUM ITA PUGNARET TAMQUAM QUAE VINCERE NOLLET,
VICTA EST NON AEGRE | PRODITIONE SUA.
UT STETIT ANTE OCULOS POSITO VELAMINE NOSTROS,
IN TOTO NUSQUAM | CORPORE MENDA FUIT:
QUOS UMEROS, QUALES VIDI TETIGIQUE LACERTOS!
FORMA PAPILLARUM | QUAM FUIT APTA PREMII!
QUAM CASTIGATO PLANUS SUB PECTORE VENTER!
QUANTUM ET QUALE LATUS! | QUAM IUVENALE FEMUR!
SINGULA QUID REFERAM? NIL NON LAUDABILE VIDI,
ET NUDAM PRESSI | CORPUS AD USQUE MEUM.
CETERA QUIS NESCIIT? LASSI REQUIEVIMUS AMBO.
PROVENIANT MEDII | SIC MIHI SAepe DIES.